Differencia prima de magnis celi configuracionibus et earum revolucionibus et primo de orbe magno quartadecano quo invenitur quibus eius dispositor et quantus longitudinis domini fuit. Inquit petrus cameracensis episcopus in libro qui vocat Elucidarium astrologice veritatis cum theologia et historia capitulo 19 Antiqui philosophi dixerunt quod ratione et experiencia docente quod signa et planete dominantur orbibus successive idest unum signum et unus planeta regit mundum vel [illegible] per 360 annos. Et hoc tempus spacium vocant orbem magnum unde leopoldus in 2° tractatu sue summe capitulo ... ubi dicit inter cetera quod ... sumuntur generales et maiores alteraciones. Inter 1a ponit quod fiunt per dominos orbium continentes 360 annos. Et per signa dominantia in coniunctione diluvium significante. Nam et astronomi communiter dicunt quod in coniunctione significante diluvium quod precessit Christum per 219 annos incipiebat novus orbis. Et hoc ponit Albumasar in fine libri sui de nativitatibus allegans ad hoc Messahalla (at) et dicit quod illi orbi prefuit Saturnus cum signo cancri. Et videtur in hoc Albumasar sibi contradicere in libro de coniunctionibus magnis differentia prima ubi ipse ponit dictam coniunctionem precessisse diluvium 278 annos. Sed oppositum Albumasar est quod ... si illi anni 219 ab illa coniunctione usque ad diluvium addantur annis a diluvio usque ad Christum qui sunt 3101. Et diebus 318 secundum alfonsum resultant a dicta coniunctione ante diluvium usque ad Christi nativitatem 3380 cum diebus predictis quos annos si diviseris per 360 qui sunt anni unius orbis fit numerus quocienti 9 et remanent anni 140 ... Sed ergo in coniunctione significante diluvium incipit novus orbis cui prefuit Saturnus ex planetis in signo Cancri ut dictum est. Unde patet quod orbi in quo Christus natus est prefuit Mars cum signo Ariete et quod annus nativitatis Christi 141 annus decimus orbis a coniunctione significante diluvium. Unde patet legittime predicari distribuendo planetas et signa